

J. Medina

65/B

1. De exgentiis ex quibus propositio huius schematis orta est.

Dum nos, episcopi, ex toto orbe terrarum hic adunati secundum vocationem a Deo receptam incumbimus renovationi Ecclesiae, ut impleatur consilium Dei de mundo, homines, fratres nostri, in hac urbe Roma, in patria nostra et in omni terra suas prosequuntur vias, vias scilicet civilisationis, in qua pluribus sub aspectibus gloriantur : dum omnes, panem, felicitatem, dignitatem, pacem et unitatem sitiunt. Iam vero saepe videntur Ecclesiam non curare, indifferenter, si non hostiliter eam aspicere; alia autem ex parte magis magisque ipsi percipiunt - benevolentia ducti vel non - Ecclesiam insertam esse rebus humanis ita ut forsitan aliquid validum dicere et contribuere possit etsi forsitan nonnisi hauriens ex traditione et experientia saeculorum. Hi homines interrogant Ecclesiam et expectant ab ea, ut clare dicat, quid cogitet de homine, de cultura et civilisatione moderna, de cura et studio eorum; scire cupiunt, utrum Ecclesia operam suam praestare velit mundo, qui in novam epocham ingreditur.

Haec interrogatio occurrit renovationi, qua ipsi christiani ultimis decenniis consci facti sunt mysterii Ecclesiae magis cum illa sentientes, ad quam renovationem prosequendam Summus Pontifex Paulus VI nos instanter invitat Encyclicis litteris "Ecclesiam suam".

Hac renovatione permoti christiani inter alia semper magis hoc percipiunt Ecclesiam numquam, et praesertim nostris temporibus, se posse claudere in seipsa ac si esset arx ab aliis separata et facta ad hoc solum, ut defendat suos valores suaque membra. Sicut Dominus eius venit in mundum et habitavit in nobis et nobiscum accipiens naturam nostram et condiciones vitae nostrae, ut communicaret nobis suam vitam, similiter Ecclesia se videt vivere in mundo, inter homines, vitam participans hominum, quibus est ministra vitae divinae. Homines eam constituunt, pro hominibus constituta est. Hoc S. Pontifex nervose expressit initio huius sessionis : "Inter Christum et hominum societatem Ecclesia media consistit, minime contenta sui, minime quasi opacum quiddam visum impediens, minime sibi ipsi finis, sed contra idcirco constanter sollicita, ut tota sit Christi, in Christo, pro Christo, ut tota sit hominum, inter homines, pro hominibus".

Ecclesia magis hodie conscientia fit mundi cui immersa est, mundi hodierni, eiusque evolutionis mirabilis, valorum, qui ei proprii sunt, periculorum, quae ei minantur, sollicitudinum et problematum, quibus vexatur, mundi huius, qui partim Ecclesiam neglit ac ignorat, partim cum expectatione animum ad eam attendit.

Mundus, de quo agitur, et illis constitutis hominibus qui sunt extra Ecclesiam, et iis qui intra eam vivunt, qui ergo eodem tempore pertinent ad Ecclesiam et mundum. Hoc proinde inter grandia munera Ecclesiae nostri temporis specialiter urgere videtur : Ut Ecclesia suam vivat vitam summam fidelitate, versus omnia quae Dominus eius ei concredidit, simul autem ex illa ipsa fidelitate conscientia respectu hominis imbuta, tota in eo sit, ut homines, eorumque reales condiciones, difficultates, problemata vigili animo comprehendat, semper prompta, ut eis occurrat.

Ipsum Concilium Vaticanum II est signum et vehiculum huius occursus, cuius progressus sine dubio multum debet Papae Joanni XXIII piissimae memoriae, qui dialogus tamen iam per plures annos pullulabat, quique caeteroquin numquam totaliter deerat : alias Ecclesia non iam extitisset. Magnae hac in re sunt expectationes quoad concilium, quas illudere non licet.

2. Quid sibi velit hoc schema.

Ex attenta consideratione harum necessitatum harumque expectationum inde a prima sessione Concilii poscebatur, ut tale schema conficeretur. Liceat advertere ad differentiam, immo novitatem huius schematis si comparatur cum aliis constitutionibus conciliaribus.

Finis nostri schematis directe non est, ut dicat christifidelibus vel mundo, quid Ecclesia sentiat de Revelatione divina vel de se ipsa, quid in genere et theoretice sentiat de mundo et de relationibus eius ad mundum, nec agitur directe de mediis, quibus vita eius interior corroboretur vel quomodo praedicatio, catechesis, vita sacramentalis et liturgica digniores et efficaciores reddantur. Ab his quaestionibus in aliis constitutionibus iam tractatis in hoc schemate logice transitus fit ad problemata, quae maxima cum passione ab hominibus nostri temporis ponuntur. Agitur de instaurando colloquio cum omnibus hominibus, ut cognoscant mentem Ecclesiae quoad condiciones, fines, problemata nostrae epochae; quonam sensu Ecclesia participet his realitatibus, quomodo de iis iudicet, quemnam valorem eis attribuat in luce consilii Dei, tandem quid christiani contribuere valeant et debeant solutioni grandium problematum, quae hominibus in hac hora historiae ponuntur.

Ne ansa praebeatur erroris vel falsae impressionis, clare apparere debet, Ecclesiam loqui de his omnibus nonnisi in luce ei propria, inquantum scilicet referuntur ad suam propriam missionem, nempe annuntiare Christum et reducere homines ad Deum per Christum.

(Quamvis) Finis huius schematis non est proponere doctrinam generalem et theoreticam de relationibus mutuis inter Ecclesiam et mundum, sed lux Evangelii de ista mutua relatione in schemate semper oculis haberi debet.

Quod tandem ad stilum et linguam attinet ad hoc tendendum est, ut maxime accommodata sint modo sentienti et loquendi hominum nostri temporis, quin diminuatur puritas et plenitudo nuntii evangelici.

3. Difficultates.

Difficultates concipiendi et componendi hoc schema paene eundem originem eandemque rationem habent ac urgens eius utilitas.

Prima difficultas oritur ex ipsa complexitate problematis doctrinalis quoad relationes inter Ecclesiam et mundum, et simul ex multiplice sensu aliquorum verborum, praesertim conceptus "mundus". Accedit quod argumenta ipsa sumi et considerari possunt sub diversis aspectibus et visionibus theologicis.

Difficile dein est invenire iustum aequilibrium inter expositionem grandium

principiorum Evangelii - qua in re certe non debemus deficere - et descriptionem et enodationem praesentium condicionum, quae in luce horum principiorum tractandae sunt.

Alia ex parte difficile est in lucem ponere condiciones vitae et tendentias, quae maxime typicae sunt pro nostro tempore, quin indulgeatur expositioni casuisticae nimis particulari aut descriptio restringatur ad phaenomena nimis generica. Nec deest periculum insistendi in aspectibus situationis actualis, qui forsitan citissime obsoleti erunt.

Difficultas etiam ex hoc oritur, quod multi nimis expectant ab hoc schemate, ac si responsum ad omnia problemata in promptu habere debeat. Utique dici debet verbum, quod reapse viam demonstret et iustis expectationibus mundi respondeat, sed honestas, humilitas, discretio limites ponunt.

Tandem non parvam parat difficultatem modus loquendi. Utique omnibus perspicuum est sensum Constitutionis finaliter non communicari posse omnibus hominibus, nisi episcopi et totus clerus et praesertim hac in re, laici, qui pro bono Ecclesiae et mundo speciali modo sese devovent, suam partem assumunt in praesentatione et explicatione. Nihilosetius stilus et lingua huius documenti tales debent esse, ut homines contemporanei seipso ibi inveniant, etsi Constitutio loquatur in alta visione Evangelii, quae experientiam eorum longe excedit.

Aequum erit considerare etiam difficultatem practicam in componendo hoc schemate : Alia schemata, quae Patribus transmissa sunt, maturescere potuerunt labore Commissionum antipraeparatoriarum, praeparatoriarum et inde ab initio Concilii Commissionum consiliarium. Pro hoc autem schemate labores initium sumpserunt nonnisi post primam sessionem Concilii.

4. Historia schematis.

Historia huius schematis enarratur in Relatione, quae habetur in Appendice textus p. 39 - 41. Pauca addenda sunt :

Versus finem Sessionis Commissionis Mixtae habitae diebus 4 - 6 mensis Iunii plures novi Periti, praesertim ex Commissione doctrinali, consentierunt invitationi et promiserunt se speciali cura et studio collaboraturos esse ad novas emendationes sugerendas. Ipsi partem habuerunt in sessione Subcommissionis Centralis diebus 10 - 12 mensis septembbris habita, in qua primae animadversiones Patrum Concilii et observationes Peritorum consideratae et plures emendationes propositae sunt. Post decisionem illius sessionis Patribus in Aula distributa sunt folia cum delineamentis aliquarum emendationum textus schematis.

5. De praecipuis animadversionibus quae iam pervenerunt.

a) Sunt qui putant praemissa theologica totaliter delenda esse, vel saltem ad minimum reducenda; alii e contrario iudicant sufficere solummodo principia communiora doctrinae Ecclesiae de mundo proponere quin verbum habeatur de condicionibus concretis et actualibus nostri temporis.

- Commissio inclinata est in revisionem qua, una ex parte, praemissa theologica ex doctrina Evangelii desumpta melius in lucem ponantur, ea brevius nervosiusque exprimendo, altera ex parte, relatio horum principiorum cum hodierno rerum statu magis eluceat.

Mens vero est Commissionis quod non sit possibile negligere situationem concretam, nam proprius scopus huius schematis est delineare relationes doctrinae Ecclesiae cum praesenti rerum statu. Sed una aliave omitti possunt, ita ut ea quae ad essentiam rerum pertinent dilucidius et fortius exprimantur.

b) Aliquae propositiones doctrinas particulares vel adhuc a theologis discussas extollere volunt. E contrario ab aliis quaeritur an non textus Commissionis doctrinas particulares alicuius scholae theologicae sapiat.

- Commissio non intendit proponere doctrinam particularem alicuius scholae theologicae. Itaque textus ad trutinam revocetur, ut obiurgationes huius generis effugiat, si forsitan aliquod fundamentum habent.

c) Aliqui existimant quod textus magis attendere deberet ad requisita quae ex lege naturali oriuntur; alii autem textui proposito obiiciunt quod non sufficienter in lucem ponat ea quae Verbi Dei revelatione afferuntur.

- Ambae animadversiones aliquomodo considerationis dignae sunt; dupli petitioni Commissio satisfacere conabitur, ita ut equilibrium et synthesis fiat altioris generis, inquantum fieri poterit.

d) Attendatur oportet et aliis punctis quae in animadversionibus in lucem ponuntur :

Aliqui petunt quod explicationes afferantur de usu vocis "mundus", simul quaerunt accuratiorem elucidationem de sensu theologicō "signorum temporum".

Ab aliis dicendi modus magis doctrinalis desideratur, quin nimiis exhortationibus textus indulgeat.

Magis sensui historiae et notioni progressus attendatur.

Signa temporum sub aspectu magis universalī, ne nimis sub aspectu europeo et occidentali considerentur.

e) Quoad formam litterariam, adhuc insudandum erit, ut textus attente recognoscatur, speciatim in his quae ad tria prima capitula pertinent, et processus logicus idearum magis appareat, facilior verborum consecutio evadat, abbrevietur textus, vitando repetitiones, attente corrigatur dicendi modus, ita ut facile intelligatur ab hominibus nostri temporis, quin ullo modo authentica doctrina Ecclesiae minus clara evadat.

Animadversiones particulares de sequentibus quaestionibus agunt : Num Ecclesia possit responsū dare quaestionibus urgentioribus quae hodie ponuntur: de matrimonio et familia, de privilegiis Ecclesiae, de confusione aliqua Ecclesiam inter et Hierarchiam, de necessaria distinctione afferenda inter relationes quas habet Ecclesia cum societate et civilisatione in genere et relationes quas habet cum potestate civili.

6. Quaedam perspectivae quae in compendo schemate p̄ae oculis habitae sunt.

a. Quoad "mundum"

Agitur de universo et hominum familia, in sua unitate et diversitate. In mentem habeamus aspectus diversos quibus considerari potest mundus : 1) Ut creatus a Deo; 2) ut in peccato positus; 3) ut salvatus et sanctificatus a Christo, ⁴⁾ ut in gemitu expectationis. Atqui hi aspectus certe inter se distinguuntur, sed de facto "existentialiter", ut ita dicamus, intermixti sunt.

Adhuc notandum est quod inveniuntur in mundo elementa et valores, quae quamquam ordinentur ad ordinem supernaturalem indolemque tamen legesque proprias habent. De hoc rerum ordine directe in schemate agitur.

Semper mundus in se fert signum praesentiae et amoris Dei, sed etiam, pro dolor, signa negationis Dei; possemus etiam dicere : signa absentiae Dei. Unoquoque momento historiae haec signa notam peculiarem accipiunt.

Quando de mundo loquimur in hoc schemate, notandum est, profundiori interpretatione theologica vocis omissa, loqui intendimus praeprimis de integro universo et de tota familia humana, quae in ^{terris} mundo est ut finem suum attingat secundum consilium praefinitum a Deo.

In mundo hodierno, tam rapida evolutione signato, interveniunt facta et spirituum motus intricatissima et etiam contradictoria : expectatio rerum necessariorum vitae : panis et dignitatis; valorum humanarum essentialium, ut personae et communis unitatis; desiderium unitatis et pacis; attentio ad Ecclesiam, experta necessitas Dei vel saltem alicuius absoluti; sed insimul homines alienantur a seipsis et a Deo exaequatione multitudinis et collectivismi (livellamento) quaestu commoditatis vitae mere materialis; indifferencismo, atheismo effective vel aperte professo, nihilismo.

b. Ecclesia relate ad mundum

Ex natura sua Ecclesia in mundo praesens adest et vivit sicut Christus, in seipsa reapse mundum fert, ex altera autem parte aliquomodo a mundo distinguitur et separatur : Quatenus nonnisi in spiritu paupertatis, abnegationis, humilitatis Ecclesia implet missionem suam in mundo.

Non ulterius disserendum est de relatione intricatissima inter Ecclesiam et mundum, sed necessario in memoriam revocandum est quod Ecclesia diligit mundum, sicut Deus Qui "sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret". Ratione ergo huius amoris divini, Ecclesia ad mundum convertitur, ad mundum qui prae se fert signa et praesentiam Dei, signa quoque et praesentiam peccati; est mundus hominum, qui quamvis etiam peccatores Fratres Jesu sunt.

Hac dilectione divina Ecclesia amat omnes res positivas huius mundi, peccatum ~~solummodo~~ damnat, mundum liberare intendit a peccato omnesque res ad Deum ordinare.

Inde praesentia Ecclesiae in mundo non est aliqua exaequatio Ecclesiae ad res mundi, ut quasi mundus efficiatur; e contrario praesentia Ecclesiae in mundo intendit elevare mundum eumque Deo offerre.

Propter hoc Ecclesia petit, ut a mundo audiatur, ita ut homines figiles sint et ad spiritualia attendant. Propter hoc Ecclesia homines audire expedit, ut eorum animum bene intelligat, ut eorum experienciis ditescat atque eas Deo offerat.

Clare dicendum est, quod quando in hoc schemate, verbum habetur de Ecclesia, non solum agitur de hierarchia sed de toto Populo Dei. Evidenter, in quaestionibus quae hic tractantur laici propriam partem et responsabilitatem habent maximi momenti.

7. Ordo schematis

Aliquid etiam de titulo dicendum est :

Titulus qui nunc proponitur, est sat amplius et forsitan plus dicit quam id quod constitutio intendit. Aliunde non omnibus omnino placet. Etiam de hac quaestione, in disceptatione propositiones Patrum expectantur.

PROOEMIUM enuntiat, quid schema sibi velit, ad quos dirigatur, et in quo lumine omnia considerentur, nempe in luce Christi.

Caput I . : Quidnam Ecclesia cogitat de homine, eiusque fine et vocatione ? Quomodo et qua via homo finem suum attingit ? Ad hanc quaestionem centralem omnia vertuntur problemata humana nostri temporis.

Ecclesia, a Magistro suo instructa, scit homini in concretis realitatibus terrestribus viventi imposita esse munera terrestria sat definita, altera autem ex parte eum divinitus vocari, ut participet ipsam vitam divinam; scit Ecclesia hos duos aspectus non sibi opponi nec se invicem excludere, sed potius profunda harmonia et unitate connecti in ipsa unitate personae et vocationis hominis, in illa unitate personae, quae summam perfectionem attinet in vocatione christiana.

At, peccatum hominem privavit amicitia Dei et influxum exercet in totum hominem et per eum etiam in mundum circumiacentem. Propterea homo indiget Christo, Salvatore mundi.

Hae quaestiones ob triplicem praeprimis rationem in I capite tractantur :

- 1° Quaestio de mundo huius temporis est essentialiter quaestio de homine;
- 2° Securius in capitibus sequentibus distinctio inter religiosam missionem competentiamque Ecclesiae et realites competentiasque societatum temporalium inculcari potest, si prius integra vocatio hominis appareat, qui totus Dei dominio subest;
- 3° Agitur de principalioribus quaestionibus, quae a materialismo praesertim a materialismo dialectico seu communismo atheistico moventur; problemata sic tractantur, ut illa systemata modo constructivo per rectam spiritualitatem et visionem christianam superentur, et ut ipsi christiani immunes et fortes reddantur.

Cap. II - III : Ecclesia, populus Dei et Corpus Christi mysticum, mundo intime et multiplicibus relationibus coniunguntur. Ipsa destinata est hominum servitio ad salutem aeternam, quo insuper includitur servitium ad dignitatem et bonum hominis in provincia rerum terrestrium fovenda.

Ecclesia iuvatur a mundo, id est Ecclesia suo modo participat experientias, culturam hominum et quidquid validum inest vitae humanae. Sine tali participatione Ecclesia nec esset, quod est, nec posset implere suam missionem versus eos, quos ad Deum conducere debet.

Hic distinete tractantur munus et habitus Pastorum inquantum praesunt Ecclesiae, atque munus et habitus omnium christifidelium, praesertim laicorum, inquantum referuntur ad mundum et sunt in mundo; in lucem ponuntur principales condiciones colloquendi cum mundo et occurrenti mundo modo christiano.

Secundum animadversiones iam receptas forsitan in reelaboratione maiore subtilitate et cura tractanda est prius relatio totius Populi Dei ad mundum et dein Pastorum et omnium christifidelium singillatim et in communitatibus.

Caput IV. Tria priora capita voluerunt proponere imaginem quodammodo generalem doctrinae Ecclesiae "in mundo et non de hoc mundo", etsi semper sub aspectu interrogationum et condicionum mundi huius temporis. In IV capite vero in specie tractantur urgentiora themata et problemata, quae hominibus hodie imponuntur et ad quae ipsi verbum illuminans ab Ecclesia expectant, dum Ecclesia ex sua parte obligationem sentiat hac de re loquendi.

In hac generali relatione non videtur esse locus, quo describantur speciatim ratio et momentum argumentorum, quae tamen in mentem revocare liceat : Agitur :

- 1) (in n. 20) de persona humana eiusque dignitate et vita in societate;
- 2) (in n. 21) de matrimonio et familia;
- 3) (in n. 22) de cultura;
- 4) (in n. 23) de vita oeconomica et sociali;
- 5) (in n. 24) de solidarietate familiae populorum;
- 6) (in n. 25) de pace.

Unicuique paragrapho respondet specialis annexus, de quibus subito verbum fiet, punctum tamen 5) et 6) in uno solo annexu simul tractantur.

Liceat nunc breviter de annexis discurrere :

Annexa non proponuntur ut textus proprie conciliares in aula discutiendi et solemniter a Concilio approbandi.

Originem ducunt ex prima redactione schematis inter primam et secundam sessionem Concilii facta, iterum atque iterum correcta sunt a specialibus subcommissionibus mixtis, quae componebantur ex membris et Peritis Commissionis doctrinalis et Commissionis de apostolatu laicorum. His subcommissionibus labor confisus est a Commissione mixta plenaria.

Unumquodque argumentum capituli IV schematis conciliaris proficiscitur suo modo ab annexu, qui ei correspondet. Proinde annexa possunt considerari tamquam commentarium et ulterior explicatio schematis. Etsi annexa non sunt obiectum discussionis conciliaris, tamen Patribus, qui enixe rogantur, ut in scriptis dent animadversiones suas, utiliter ea pro intellectu schematis prae oculis habebunt.

◦ ◦ ◦

Textus, quem vobis, Venerabiles Patres, praesentamus certe nec ipsis nostris desideriis plene satisfacit; sperantur numerosae emendationes et ulteriores progressus, et quoad efficaciorem expositionem theologicam, et quoad universaliorum perscrutationem et iudicium signorum temporum, et quoad intelligibilitatem claritatemque stili et linguae. Difficultates, de quibus supra locuti sumus, redactionem textus sat arduam fecerunt.

His non obstantibus nobis videtur retinenda esse et argumenta quae proponuntur, et structuram et spiritum quo totum schema animatur, et propterea textum posse servire ut basim discussionis conciliaris. In hoc sensu Commissio mixta approbavit textum et Commissio pro coordinandis laboribus censuit eum Congregationi generali proponendum esse. In hoc ergo sensu textum vobis, Venerabiles Patres, praesentamus vestro iudicio, insistenter tamen rogantes, ut schema amplae discussioni subiciatur, quae defectibus corrigendis minime parcendo, in spiritu constructivo exhibeat propositiones et emendationes, quae textum finaliter faciant instrumentum efficax occursus et dialogi inter Ecclesiam et mundum huius temporis.

Omnibus compertum est hanc Constitutionem intra Ecclesiam et extra eam ab hominibus expectatione erecta exoptari. Hoc expresserunt tot episcopi, tot laici, immo etiam homines qui extranei sunt rebus Ecclesiae. Forsitan a multis nimis expectatur.

Nobis non licet hanc spem et expectationem illudere. Spiritum Sanctum - intercedente Matre Boni Consilii - imploramus, ut det nobis abundantius lucem et amorem ad occursum fratribus nostris, secundum consilium Dei.

Menda in textu schematis corrigenda :

p. 6 lin. 20 loco "communitatum Ecclesiae" legatur : communitatum ecclesialium.

p. 12 lin. 29 post verbum "testium" omissum fuit : manifestat. Quicumque enim ministerio Verbi Dei se devovent...

p. 13 lin. 3 et 4 sic legantur :

utitur, quantum propria missio id postulat, quin in privilegiis ab auctoritate civili oblatis spem ponat. Immo...

p. 13 lin. 8 addatur post ubique divinitus (divinitus fas ei...)

p. 23 lineae 14 et 15 invertantur.